Herrn Geh. Reg.-Rat Prof. D. [illegible]

seinem hochverehrten Lehrer,

d. Vf.

Vindiciae Livianae.

Part. I.

Livii librorum qui supersunt emendationem certis fundamentis hac aetate stabilitam viro immortalis memoriae acceptam referimus, quem indefessa usque ad ultimum spiritum cura his studiis incumbentem proxime ereptum dolemus, quicumque in illo scriptore tractando versamur. Auctaque emendatio est, ut quae maxime, coniuncta aliorum doctorum opera his proximis decenniis atque eo provecta, ut primitivam scripturam recuperatam esse de innumeris locis hodie conveniat. Multa tamen ut fit etiamnunc a deplorata codicum condicione aegra iacent, alia aut olim iam aut nuper demum in dubium vocata sub iudice pendent, varie defensa aut mutata. Atque illorum quidem remedia divinandi periculo augere nunc animus non est, sed potius quosdam locos disceptare, quos operosius quaesitos recte scriptos esse in codicibus nobis persuasimus et inutili criticorum opera vexari atque adeo corrumpi existimamus coniecturis, quarum quidem segetem plerumque in dies increscentem videmus. In quo patrocinio suscipiendo illud tenuimus, ut primum ac potissimum Livii ipsius dicendi genus examinaremus et inde, si fieri posset, adminicula peteremus, quae ut in prolixo opere interdum non sine labore comparantur possuntque editorem vel sedulo circumspicientem facile fugere. Deinde praeter universi Latini sermonis observationem Liviani stili auctores et imitatores, cum plus iusto in hac causa neglegi viderentur, non contemnendos esse et cum fructu in partes vocari duximus. Plura profari non opus est: rationem nostram qualemcunque res ipsa declarabit. Interim nos non paenitebit, si contigerit aliquid ad unam alteramve lectionem firmius, quam adhuc factum est, stabiliendam et ad sermonis cum Latini tum Liviani naturam rectius aestimandam utiliter contulisse.

I. Inde a Livio maxime verbum *deserendi* absolute poni de militibus signa vel castra relinquentibus *(desertieren)* vulgata res est, de qua praeter alios Nipperdey spic. in Corn. Nep. II, 5 p. 5 sq. pluribus disputavit, quae nunc repetita leguntur in opusculis p. 174 sqq. (addo unum exemplum Ampelii lib. mem. 19,10 *Scaurus, qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia bello Cimbrico deseruerat*). Minus notum videtur similiter *abnuendi* verbum in re militari infinite dici de militibus iussa ducum detrectantibus, quod plenius effert Tacitus ann. 14,37 *abnuerat contra ritum militiae iussa ducis.*[1]) Certe plerumque hunc usum agnoscere nolle doctos observavi. Velut quod consensu librorum traditum est in Livii l. 27 c. 49, 3 *ille* (Hasdrubal in pugna Senensi) *fessos abnuentisque taedio et labore nunc precando nunc castigando accendit*, nuper Luchs Friedersdorff Zingerle (nam de H. J. Muellero nondum constat) Madvigio crediderunt a Livio sic profectum esse: *fessos*

[1]) Cf. Sall. fr. hist. 3,67 D. *neque ex postrema fuga, cum severo edicto iuberentur, ullis ad signa redeuntibus, et qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus militiam.* Alibi *iussa exuere, detrectare* milites dicuntur.

abnuentisque taedio laborem. Quod quamquam ipse auctor coniecturae in altera, quae a. 1882 prodiit, eorum librorum recensione in verborum ordinem non recepit — ut erat sane dubitantior de suis commentis vergente aetate factus —, tamen etiamtum probabile videri iudicavit ‚quod aegre accusativus desideraretur' (praef. IX), traxitque auctoritate sua Novákium, qui quidem incertum an propius traditam scripturam accedere se ratus *fessos abnuentesque ex taedio laborem* nuper scribendum proposuit. Nos igitur longe aliter sentimus. Ut enim Madvigium audiamus, quod is emendat. Liv. p. 402[2] *abnuere labore* nihil esse asseveravit argumentis non adiectis, de ablativi causalis dubitatione facile refutatur vel uno loco Liviano a Weissenbornio ascripto 35, 5, 5 *et caesos permultos esse et qui supersint, partim labore partim metu*[1]) *remisisse ardorem pugnae.* Eoque minus duritiae ablativus *labore* eo de quo agitur loco habet, quod non ad unum *abnuentis* sed ad *fessos* etiam refertur, nec solus, sed coniunctus cum altero *taedio*, ut nec opus sit ἓν διὰ δυοῖν, quod amant, intellegere tamquam *taedio laboris*; cf. 8, 24, 11 *fessi metu ac labore* — 22, 2, 4 *si taedio laboris longaeque viae dilaberentur*, 21, 35, 6 *fessis taedio tot malorum*, Tac. ann. 12,39 *taedio curarum fessus.* Nec magis *abnuendi* verbum absolute positum offensioni debet esse. Quem usum quod poetis maxime Weissenborn vindicat, non memini nec tamen de iis affirmo. Fortasse cogitabat alium infinitum eius verbi usum, quem nunc non quaerimus et habemus velut Liv. 4, 13, 12 *approbantibus cunctis primo Quinctius abnuere*, 6, 24, 9 *abnuente ac prohibente collega* cet. Sed utut id est, prosae scriptorum testimonia non deesse puto. Sallustii quidem exemplum a Weissenbornio laudatum — extat autem in Iugurthae bello c. 68, 3 his verbis: *ibi milites fessos itineris magnitudine et iam abnuentis omnia docet* cet. — ad fidem faciendam non omnino aptum est, quamquam me quidem vel propter similitudinem Livii verborum *fessos abnuentisque taedio et labore* iis astipulari fateor, qui *omnia docet* coniungenda censent eodem modo, quo ib. c. 112, 3 *cuncta edoctus.* Nec dubium nobis est, quin acer Sallustianae elocutionis sectator Lucius Septimius ephem. bell. Troj. 3, 13 scripserit: *ubi ad multum diei barbari intenti iaculis fessi iam neque ita vehementes animadvertunt, ex parte una nostri erumpunt, incursantesque sinistrum latus fundunt fugantque: neque multo post ex alio abnuentibus* (sic codex Berolinensis) *iam barbaris ac sine ulla difficultate versis*; nam quod nuper Ferd. Meister anxie Sangallensem librum[2]) secutus edidit *adnuentibus* difficile est ad explicandum neque *abeuntibus*, quod Perizonio scribendum videbatur, memoriae codicum satisfacit. Certius exemplum Tacitus brevitatis inter paucos studiosus scriptor et qui multa in absoluto verborum usu ipse novavit, suppeditat, si modo auctoritatem optimi libri Medicei sequaris. In quo cum ann. 13, 35 haec scripta legantur:

---

[1]) Huius orationis similis habetur 25, 24, 11 de Marcello captis Syracusis illacrimante: *illacrimasse* (sine casu i. q. ἀνακλαύσασθαι, ut *ingemiscere* aliaque) *dicitur partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis.* Non tulit Harant (em. et adn. ad T. Livium p. 115) hanc diversam ablativorum rationem et *partim* [*in*] *vetusta gloria urbis* scribi iussit, quod nobis quidem multo insolentius dictum videtur. Poterat sane ablativorum ratio exaequari velut scribendo *partim gaudio partim memoria vetustae gloriae urbis,* ut legitur 39, 49, 5 *cognitumque primum a verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt.* Sed aliter maluisse videtur Livius, ut hic quoque duae causae, quae ad tempus animum permovent quarumque altera in homine posita est, altera extra eum, eodem sexto casu efferrentur. De posterioris ablativi specie rara illa quidem in Latino sermone satis erit admonuisse eorum, quae Livius scripsit 22, 11, 6 *apud cives sociosque vetustate iam prope oblitos eius imperii* (dictaturae scilicet post multos annos tum primum revocatae), Cicero Phil. 1, 12, 30 *significarunt se beneficio novo memoriam veteris doloris abiecisse.* Plura ex Ciceronis libris Madvig de fin. 1, 10, 33 p. 73[3], ex Taciti Nipperdey ad ann. 3, 24 congesserunt.

[2]) Quamquam in eo est *annuentibus,* natum illud quidem ex *adnuentibus* pro *abn.* exarato, quo mendo velut in Bambergensi codice Flori 2, 4 (3, 16) § 2 p. 81, 10 Jahn *annuentibus* pro *abn.* scriptum extat.

dehinc quia duritia caeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est, et priorum et horum temporum, quotquot inspexi, editores ex reliquis codd. *duritiam abnuebant* reposuerunt. Quod facile condonandum erat superioribus criticis vel eo, quod Mediceum parum diligenter excussum habebant. Sed post accuratam libri egregii lectionum perscriptionem, quae hoc demum saeculo instituta innumeris locis pristinum splendorem Taciteae orationi reddidit, miror illo loco spretum id esse, prae quo vulgata omnino sordeat, immo communem redoleat interpolationem. Nam nequid dicam de ablativi usu Tacito perquam familiari et in quo multo duriora ausus est, vide sis v. g. eiusdem libri c. 16 *postquam fervore* (potionem Britannicus) *aspernabatur = propter fervorem*, quis non sentit praeclare componi infinite illa duo *abnuebant deserebantque*? Sed magis mirandum est Nipperdeium ne in vulgata quidem scriptura, quam sequitur, *deserendi* verbi usum absolutum, quem tam bene cognoverat, agnoscere sed *duritiam* iterum eo referre.

II. Magnae offensioni fuit viris doctis *pervincendi* verbum cum obiecto personali coniunctum adnexa per *ut* sententia in his Livii verbis 42, 45, 4 *qui* (Hegesilochus) *cum in summo magistratu esset, multis orationibus*[1]) *pervicerat Rhodios, ut omissa regum fovendorum spe Romanam societatem retinerent.* Insolentem locutionem Drakenborch cum notasset, mutandum censuit *pervicerat, Rhodii ut ... retinerent.* Quam coniecturam Madvig propter verborum pravam[2]) collocationem reiecit et ipse, cum emendationes Livianas primum emitteret, *perduxerat Rhodios* (p. 536), in altera editione (p. 647 sq.) potius *pervicerat apud Rhodios* legendum existimavit, cuius rationes emendandi exceperunt Weissenborn et Harant (l. c. 248), ille *perpulerat Rh.* tamquam ex Drakenborchii sententia edens, hic *pervicerat ad Rh.* proponens. Atque hos quidem Madvigii auctoritate motos esse non tam miramur quam ipsum in codicis memoria temptanda perseverasse, cum iam non nescium haberet Tacitum hist. 3,74 dixisse *stantem pro gradibus Palatii et preces parantem pervicere, ut absisteret.* Atqui constat Tacitum, qui ipse quoque multa in sermone Latino novavit eorumque rursus aliis auctor extitit, Livii vestigia non semel premere. Nonne igitur tutius vel hoc uno loco Taciteo nisi Livium in hoc quoque loquendi genere Tacito praeiisse statuemus quam reponemus, quod aut tritius est aut non minus insuetum aut vel deterius? Nam neque *perducendi* verbo ita usus est Livius ac ne alii quidem nisi perraro (Plaut. Most. 198; frequentius est *adducere* et *inducere*) neque *pervincere apud* seu *ad alqm.* ullo sermonis usu defenditur. Sed eius ipsius, quam in dubitationem vocant, structurae exempla alia non passim, sed tamen certa inveniuntur. Velut idem Tacitus ann. 15, 17 scribit *illam non verbera, non ignes pervicere, quin obiecta denegaret,* contra sine obiecto ib. 11, 34 *sed non ideo pervicit, quin suspensa responderet*, saepissime apud Livium, ut 2, 40, 2 *pervicere certe, ut et Veturia et Volumnia in castra hostium irent.*[3]) Similiter simplex *vincendi* verbum

---

[1]) Sic vulgo recte scribitur: codex Vindobonensis *multiorationibus* exhibet, unde Grynaeus *multis rationibus* effecerat; cf. tamen locum similem 32, 28, 8 *his orationibus pervicerunt, ut consules in senatus auctoritate fore se dicerent, si idem tribuni plebis facerent.*

[2]) ‚Perverse eminente populi nomine, quasi comparatio aliqua sit.' Cf. 28, 15, 14 *transitio sociorum, fuga ut tutior mora videretur, fecit*, 23, 17, 12 *satis ferme armatorum ad tam exigua moenia tuenda erat, penuria frumenti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat*, 3, 64, 9 *satis factum legi aiebat, quae numero nusquam praefinito, tribuni modo ut relinquerentur, sanciret*, 9, 24, 4 *perpulit, prope adiuncta moenibus Romana castra ut sex milia ab oppido removerentur*, 31, 31, 2 *Macedones, defensionem ut accusatione potiorem haberemus, effecerunt*, 24, 26, 11 *tum omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent, orare institit* similiaque.

[3]) Copiis a Maur. Muellero ad h. l. in appendice p. 154 sq. congestis addo 26, 38, 11. 29, 31, 4. 32, 22, 8 28, 8. 33, 16, 3. 47, 6. 35, 33, 7. 37, 16, 4. 17, 7. 39, 32, 12. 42, 18, 6.

posuerunt active Plautus Stich. 5, 5, 15 (756) *nunquam edepol med istoc vinces, quin ego ibidem pruriam*, Curtius 8, 2 (6), 11 *diu precibus ipsorum reluctatum regem aegre vicerunt, ut cibum caperet*, passive Horatius ep. 17, 27 *ergo negatum* (= quod negaram) *vincor ut credam miser*, Tacitus ann. 14, 60 *vi tormentorum victis quibusdam, ut* (cod. Med. *si* manifesto prave) *falsa adnuerent*, ipse Livius 9, 3, 8 *consensu omnium victus est, ut ipsum* (Herennium Pontium patrem) *in consilium acciret*,[1]) contra idem sine obiecto 3, 29, 8 *plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent*, 4, 25, 14 *vicere tribuni, ut legem perferrent* (cf. 37, 16, 4 *pervicerunt quidem remis, ut tenerent terram*). Eundem usum agnosco in verbis Suetonii Tib. 37 *histriones . . . . relegavit nec ut revocaret umquam ullis populi precibus potuit evinci*,[2]) cf. Livius 2, 4, 3 *evincunt instando, ut litterae sibi ad Tarquinios darentur*.[3]) Denique ne illud quidem praetermittendum in hac re existimamus, quod Livius similiter *perpellendi* verbo et absolute et casu nominis addito usus est, velut 7, 41, 7 *perpulit, ut id quoque ferretur* (cf. 1, 45, 2. 2, 31, 5. 3, 50, 11. 9, 24, 4. 31, 7. 24, 35, 5. 25, 27, 2. 8. 33, 8, 2 etc.), sed 7, 36, 10 *perpulit consulem, ut hostes adgrederetur* (cf. 1, 59, 11. 4, 12, 8. 8, 16, 9. 25, 28, 5. 28, 35, 3 etc.), et fortiore verbo *percellendi* („die erschütternde Wirkung ausüben" H. J. Mueller) 3, 30, 5 *is metus perculit, ut scribi militem tribuni sinerent*, contra ib. c. 38, 6 *is pavor perculit decemviros, ut senatum simul duobus circumstantibus urbem bellis consulerent* et 42, 67, 1 *hic dies et Romanis refecit animos et Persea perculit, ut dies paucos ad Mopselum moratus praesidio satis valido ad Gonnum relicto in Macedoniam reciperet copias:* nam hunc locum ipsa contrariorum ratione tueri duo priores contra Gronovii coniecturam utrobique *perpulit* reponentis recte H. J. Mueller monuisse nobis videtur.

Tacitum supra statuimus, cum *pervincendi* verbum cum obiecto personali adiuncta per *ut* sententia poneret, Livii auctoritate uti. Hic scriptor quanti momenti ad Taciti stili historicum excolendum fuerit et quantopere et verba et sententias ei suppeditaverit quamquam in universum non fugit utriusque interpretes, tamen haud raro parum aestimari puto. Qua in re libet mirari non solo eo loco, unde exorsi sumus, prudentes alioquin viros locutionem novam et in Livii qui quidem reliqui sunt libris unicam, sed posterioribus scriptoribus, maxime Tacito approbatam nolle agnoscere, sed a Livio abiudicare et emendare malle. Quam rationem, ut alia omittamus, eo minore iure illi praefracte plerumque negantes sequi videntur, quo plura prolixi operis Liviani iniuria temporum nobis erepta sunt. Nam quota portio est, ubi praeter secundam decadem totam centum fere desunt libri ab ultimo eorum, qui supersunt? Et in deperditis libris possunt plura exempla habuisse tales locutiones, quae nobis quidem hodie singulares sunt, nec dubium est, quin multa eorum, quae in Tacito tamquam nova miramur, suam ibi auctoritatem habuerint. An verisimile est horum centum librorum sermonem adeo concinuisse cum pusilla quam habemus parte, in qua vel ipsa primae decadis stilum a posterioribus libris vulgo discernimus nec id sine iure? Sed ea tota quaestio, quae est de Livio Taciteae elocutionis auctore, aliis quoque difficultatibus impedita est, quas nunc non persequimur, et ipsam quaestionem peculiari disputatione haud indignam nonnisi paucis forte obviis exemplis illustrare consilium est, ut fortasse unam aut

---

[1]) Cf. Liv. 5, 9, 8 *victi consensu omnium comitia tribunorum militum habuere*, et sic saepius *consensu victus* legitur: 2, 57, 4. 3, 52, 10. 10, 13, 12. 24, 27, 3. 31, 20, 6.

[2]) Cf. Tac. ann. 4, 57 *precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit.*

[3]) Plura absoluti eius verbi usus exempla Liviana suppeditat Maur. Mueller ad h. l. append. p. 145.

alteram lectionem a doctorum coniecturis tutemur[1]). Velut nobis non ita certum est Livium 42, 66, 7 non scripsisse *armatis deicientibus praeceps impedimenta*, ut in codice est, sed [*per*] *praeceps*, quod inde a Grynaeo vulgatur; vide quae Nipperdey ad Tac. ann. 4, 62 de eo adverbiali usu vocis *praeceps* exempla congessit; at siquid mutandum est, praetulerim [*in*] *praeceps* ex sermone Livii, qui 5, 47, 5 scribit *tota prolapsa acies in praeceps deferri*, 27, 19, 10 *prolapso equo effusus in praeceps*, ib. c. 27, 11 *rem publicam in praeceps dederat*. Et quod semel in Livii libris 44, 46, 4 *advertendi* verbum pro *animadvertendi* positum invenitur, eo quod Tacito maxime consuetum est (v. Nipp. ad ann. 2, 32) satis defendi putamus, nec non *praelegendi* verbum in his 22, 20, 7 *nec continentis modo praelectast ora, sed in Ebusum insulam transmissum*, Weissenbornii et Madvigii coniectura restitutum, quae fere omnibus hodie probatur. Codices boni ibi *periectas*[2]) *oras* exhibent, ex quo illud facilius efficitur quam aut *praevecti sunt oras* aut *praevecta est oras* (sc. *classis*, quod nomen paulo antecedit), quae utraque vocem Taciteam (ann. 2, 79. 6, 1) recipere non ausus postea idem Weissenborn temptavit[3]) et quorum posterius plurali *oras* correcto nuper Luterbacher revocavit. Sed et passivam orationis formam multo rectiorem esse Madvig sensit et *legendi* verbo sexies ita usus est Livius (v. Fabri ad 21, 51, 7), et nequis de passiva eius verbi forma dubitet, annoto Taciti Agr. 38 *Britanniae litore lecto omni*.

Ut etiam syntactica aliqua Tacitei sermonis propria tangamus, in quibus Livium illi auctorem fuisse indeque hoc illudve in dubium vocatum stabiliri posse putamus, Tacitus saepius improviso

---

[1]) Liv. 1, 57, 5 *regii quidem iuvenes interdum otium conviviis comisationibusque inter se terebant* Zingerle nuper ex codice bibliothecae Bened. ad S. Paulum in Carinthia saec. XIII, ut videtur, interpolato *trahebant* edidit. At *otium terere* non solum Vergilius dixit Aen. 4, 271 *qua spe Libycis teris otia terris*, ad quem provocat H. J. Mueller Zeitschr. f. Gymn. W. 1888 Jahresber. p. 94, sed etiam Tacitus hist. 2, 34 *ne ipsorum miles segne otium tereret* et Statius silv. 3, 5, 61 *otia tam pulchrae terit infecunda iuventae*, quamquam Tacitus etiam *otium trahere* scripsit hist. 4, 70 *Classicus segne plerumque otium trahens*.

[2]) H. e. *periectast*, quem ad modum in Puteaneo exarata sunt 23, 18, 7 *propositast* (unde turbatum est in recc. codd., copula cum insequenti *atque* coniuncta, ut *statque* fieret, deinde in aliis serpente errore *stansque*), ib. c. 47, 6 *proditast*, c. 49, 3 *administratast* paucisque aliis locis. Cuius scripturae rationem Lachmann ad Lucr. 1, 993 explicavit, testimonia ex Ciceronis libris rescriptis, ibi quoque rara, dedit Freund ad Ciceronis Milonianam p. 19 sq Eodem autem mendo in Puteaneo Livii scribitur 24, 3, 9 *cinctas* = *cinctast*, in Lucretii codd. vett. 1, 993 *nullas* = *nullast* , 3, 884 *distractas*, in Ciceronis Mediceo Att 7, 11, 4 *factas*, Vaticano Phil. 2, 29, 73 *prolatas*, in Frontonis palimpsesto Bobiensi m. 1 *in animos*, ubi Naber adnotavit: ‚credibile est et hic et alibi scriptum fuisse *animust*.‘ Contrarie peccatum est in Bembino Terentii Ad. 415 *vitast* pro *vitas*, unde non mirus error est, quo in eodem codice Hec. prol. 49 (57) *empta est* pro *emptas* extat, in codd. Livii 31, 18, 4 *animo est* pro *animos* (quod egregiae coniecturae debetur Madvigii em. Liv. p. 465[2] sq.), sicut scriptione continua fallente Cic. Att. 13, 40, 1 in Med. ortum est *ad mea est* ex *ad me: ast* (corr. m. 2; Kayser solus *at* maluit), cuius similia Vahlen ex Ciceronis de legg. libris adn. ad 2, 12, 31 attulit. Alibi *st* in *si* abiit: Lucr. 6, 336 *plaga si* = *plagast*, 5, 1053 *facile si* = *facilest*, Liv. 32, 20, 8 Bamb. *mirum si* = *mirumst* (corr. Ussing); in *se*: Lucr. 6. 475 *consanguinea se* = *consanguineast*, Liv. 41, 18, 4 Vind. *auditumse* = *auditumst*, Cic. Att. 1, 1, 1 Med. *opiniose*; in *sit*: Liv. 44, 36, 13 *operae sit* = *operaest*, ib. c. 35, 16 *utrimque sit* = *utrimquest*, saepissime in Ciceronis codicibus, v. Madvigium de fin. 3, 58, opp. acc. I, 184. II, 222, em. Liv. 705[2], adv. crit. I, 68. II, 681 ind. s. v. *st*; in *sunt*: Cic. Att. 13, 29, 2 *addenda sunt* = *addendast*, Phil. 5, 17, 47 Vat. *extincta sunt* = *extinctast* (unde interpolatum est in recc. codd. *extincta fuit*), intempestive *st* pro *st* habito, quo modo incohata reperitur interpolatio in Bambergensi Livii 36, 23, 9 *perductaest* = *perducta est*. Tam varias mutationes subiit turbasque dedit scriptura *st* a librariis non intellecta.

[3]) Lect. Liv. I, 23 n. 8, Bergkii et Caesaris ephemer. a. 1847 p. 1007, in ed. Teubn. altera discrepant. script. p. CV.

quodam orationis flexu sententiam primariam pro secundaria ad priora accommodata inducit, velut ann. 2, 21 *imprompto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat*, ubi potius hanc continuationem exspectes: *sive quod illum vulnus tardaverat*, ib. 13, 15 *venenum accepit tramisitque, exsoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim saeviret*, hist. 1, 76 *longinquae provinciae . . . . penes Othonem manebant, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus.* Haec autem grata orationis varietas iam Livio aliquando placuit, sed neglecta adhuc ab interpretibus videtur, ut puta 5, 47, 8 *cui universi selibras farris contulerunt, rem dictu parvam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis*, 22, 22, 6 *Abelux erat Sagunti nobilis Hispanus, fidus ante Poenis, tum, qualia plerumque sunt barbarorum ingenia, cum fortuna mutaverat fidem*, 45, 17, 2 *in Macedoniam consulares quattuor nominati, A. Postumius Luscus . . . . C. Licinius Crassus collega in consulatu Pauli, tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat*, 3, 33, 5 *his proximi habiti legati tres qui Athenas ierant, simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova iura usui fore credebant.* Extremo hoc loco potuit sane a Livio scribi *simul* [*quod*] *peritos . . . usui fore credebant*, quod nuper Harant l. c. p. 24 suasit, aut participialiter oratio conformari, quomodo 27, 3, 2 *milites aedificiis amotos, simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur, simul metuens, ne suum quoque exercitum nimia urbis amoenitas emolliret*, sed praetulit primariam sententiam. Ceterum aliud quoque, quod Taciti exemplo firmari licuit, in illis verbis Harant iniuria mutasse nobis videtur pro *habiti* scribendo *additi*, quae est lectio codicis cuiusdam ignobilis Veithingensis plausumque tulit H. J. Muelleri, non Madvigii. Contendit enim vir doctus ex tradita scriptura neque aliud quicquam elici posse nisi *his proximi crediti sunt fuisse legati tres* nec verbum *habiti* eodem sensu usurpari, quo *creati* aut *electi*, hoc recte, illud secus nostro quidem iudicio. Hoc enim dicit Livius, postquam tres decemviros alium aliam ob causam creatos narravit, legatos illos tres his proximos dignitate iudicatos ac perinde tractatos esse h. e. nimirum creatos. *Proximus* interdum (nam interpretes silent nec tamen vulgare dicendi genus est) eminenti sensu vocatur dignitate ac meritis proximus ab aliquo: ‚den nächsten Anspruch habend, nächstwürdig', velut Curtius Rufus, postquam praemia ab Alexandro de fortitudine militari certantibus proposita esse memoravit, pergit: *primus omnium virtutis causa donatus est Atharrias senior, qui omissum apud Halicarnason a iunioribus proelium unus maxime accenderat; proximus ei Antigenes visus est* cet. (5, 2, 5), Vergilius in iaculandi certamine ab Aenea instituto Aen. 5, 540 sq.

primum ante omnis victorem appellat Acesten.
nec bonus Eurytion praelato invidit honori,
quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.
proximus ingreditur donis, qui vincula rupit,

ubi *donis* est ablativus qui vocatur respectivus (cf. Taciti locum mox laudandum) nec recte interpretari videntur alii aut *cum donis* aut ex Servii sententia *ad dona accipienda.* *Habendi* autem verbum, quod Harantium tantopere offendit, interdum et *putandi*, *iudicandi* et *tractandi*[1]) notionem complectitur, sicut Tacitus ann. 2, 47, ubi duodecim claris Asiae urbibus motu terrae collapsis

[1]) De effectu iudicandi; cuius generis est, quod sententia *videri* dicitur, quae *accipitur:* Liv. 26, 21, 4 *medium visum (‚die vermittelnde Ansicht wurde zum Beschluss erhoben'), ut ovans urbem iniret*, h. e. media sententia visa est (2, 30, 1 *medium consilium Vergini habebatur*, quod tamen non acceptum est) eoque accepta est, qua pleniore oratione utitur Livius 36, 12, 3 *media visa est Clyti sententia eoque accepta est, ut ad regem mitterentur legati.* Similiter alibi *placere* ponitur.

quomodo a Tiberio subventum sit refert, scribit: *asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar et quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti* (ubi vide Nipperdei adn.), idem ann. 15, 6 *neque Corbulo aemuli patiens erat et Paetus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta*, Cicero ad Att. 1, 1, 3 (Caninius Satyrus) *observat L. Domitium maxime, me habet proximum.*

Adiungam alterum genus dicendi minus accuratum, quod spectat ad omissos verbi substantivi coniunctivos, maxime praesentis et imperfecti temporum, quodque ex parte a Livio docti abiudicarunt. Qua in re notum est nullum scriptorem latius sibi indulsisse quam Tacitum, latissime in postremo opere annalium, parcius in prioribus scriptis et quidem — praeterquam in interrogationibus indirectis — nonnisi alterius verbi coniunctivo eadem condicione subiuncto, qua de re vide Nipperdei adnot. ad ann. 1, 7. Iam ut Livius quid sibi in hoc genere permiserit cognoscatur, plenam[1]) exhibemus locorum enumerationem codicum memoriam secuti, nisi quod haud dubie corrupta reliquimus, velut manifesto complurium verborum defectu laborant duo loci, qui sunt 22, 31, 11 et 44, 4, 4, quorum alterum Weissenborn, alterum Vahlen optime suppleverunt vulgoque probati sunt. Hi autem huc pertinent: 2, 23, 5 *sciscitantibus, unde ille habitus, unde deformitas*, 1, 59, 2 *stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium*, 35, 49, 6 *cum miraremur, unde illi eo tempore anni tam varia et multa venatio*, 26, 27, 6 *consul edixit, qui quorum opera id conflatum incendium* (*esset* necessario addendum dicit Madvig em. Liv. p. 380[2]), *profiteretur* cet., 23, 34, 5 *cum quaereret, qui et unde et quo tenderent cursum*, 27, 19, 9 *quem cum percontaretur Scipio, quis et cuias et cur id aetatis in castris fuisset*, 44, 18, 3 sq. *ut explorarent . . . . an iam omnes angustiae exsuperatae* (*essent* inserit Madvig l. c. p. 689[2] n., *angustias exsuperassent* temptavit Weissenborn) *et in aequa loca pervenissent*, § 4 *quanti praeparati commeatus et unde terrestri itinere, unde navibus supportarentur*, 2, 21, 4 *tanti errores implicant temporum . . . . ut nec qui consules secundum quos, nec quid quoque anno actum sit . . . . digerere possis* — 26, 40, 10 *cum ei multitudo maior quam Numidarum procul visa* (sc. *esset*[2]), quod adici iubet Siesbye apud Madvigium em. Liv. p. 388[2] n.) *et clamor Romanus haudquaquam ignotus ad auris accidisset* — 4, 53, 13 *tamquam haud dubius inter tribunos militum*

[1]) Kuehnastii in syntaxi Liviana p. 277 disputatio et paucorum exemplorum est nec in his ipsis diversa genera, ut par est, discernuntur, etiam alienis immixtis, velut 22, 52, 5 *praeter equos virosque et si quid argenti* (sc. *erat*, non *esset*; cf. Tac. hist. 4, 46 *Germanicum Britannicumque militem ac siqui aliorum exercituum, separatim adsistere iubet*, Xen. Cyr. 5, 2, 5 *οἷς, σῦς καὶ εἴ τι βρωτόν*, Vahlen ad Cic. de legg. 2, 25, 63, etiam Liv. 37, 45, 15 *Eumeni quoque reddi quadraginta talenta et quod frumenti reliquum ex eo, quod patri debitum est, placet*) *cetera praeda diripienda data est* aut 8, 25, 12 *cogitaret p. R. potius, cum quanto studio reditum in amicitiam suam esset quam qua stultitia de officio decessum*, quod ex communi usu dicitur. Aliter comparata sunt etiam quae 21, 15, 3 leguntur *octavo mense quam coeptum oppugnari captum Saguntum quidam scripsere*, nec nobis tam dura quam Weissenbornio *sit* supplenti videntur, cf. 34, 8, 3 (lex) *viginti annis post abrogata est quam lata.* Denique 22, 44, 7 in his *videret ut, quibus lingua prompta ac temeraria, aeque in pugna vigerent manus* iis assentior, qui *vigeret* in relativa sententia audiendum statuunt, ut ironice dicatur iis *lingua vigere*, cf. 39, 40, 7 *cuius lingua eo viro viguerit.*

[2]) Quamquam nolo tacere, quod quondam cogitavi posse iterum in priore membro audiri *accidisset*. Nam *multitudo maior ad oculos accidere* dicitur, quomodo Hirtius b. g. 8, 8, 3 scribit *ne maioris multitudinis species accidere* (vernaculo sermone similiter ‚*auffallen*') *hostibus posset* et Cicero Verr. 4, 1 § 2 *nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, in Sicilia reliquisse.* Sed illud praestat, nec in hac re neglegendum est, quod Livius interdum indicativos verbi substantivi in sententiis coniunctionalibus subiuncto indicativo alterius verbi omisit, ut 9, 46, 14 *donec Q. Fabius et P. Decius censores facti* (sc. sunt) *et Fabius omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus coniecit.*

honos Menenii (sc. *esset*), *si peteret, consularibus comitiis est exclusus.* Iam qui haec exempla perlustraverit a nobis distincta generibus, indicato, sicubi addi mutarive docti voluerunt, certam legem a Livio in omittendis verbi substantivi coniunctivis observatam facile perspiciet; scilicet continuit se fere in interrogationibus indirectis, ibi quoque saepius omissionem leniens alius verbi subiunctivo per *et* particulam copulato, id quod semel in enuntiato temporali instituit, cum semel in sententia modali coniunctivum omiserit. Easdem autem rationes Tacitum in scriptis minoribus historiisque secutum esse, in posterioribus longius progressum supra significavimus, quod ut exemplis quoque cognoscatur, nunc ascribimus hist. 4, 83 *quaenam illa superstitio, quod numen interrogant,* ann. 2, 9 *unde ea deformitas oris interrogat,* hist. 4, 34 *tamquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset,* 1, 21 *dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset,* Germ. 39 *tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus.* Itaque de Livio sic iudicamus aut omnes locos corrigendos esse aut nullum nec partem ferendam partem abiciendam, sicut Madvig *cum multitudo ei visa et clamor accidisset* toleravit, *an augustiae exsuperatae et in aequa loca pervenissent* prorsus ferri posse negavit ,neque apud Livium neque apud quemquam ante Tacitum ac vix apud quemquam praeter ipsum Tacitum', securus de eis, quae in eodem orationis circuitu paulo post leguntur *quanti praeparati commeatus et unde supportarentur.*[1])

III. Similem ac *pervincendi* verbum offensionem habuit apud plerosque *obtinendi* verbum Liv. 21, 46, 10. Ubi cum codices melioris notae praebeant haec: *servati* (in pugna Ticinensi P. Cornelii Scipionis) *consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores sed fama obtinuit,* recte olim necessaria correctio *auctores et fama obt.* adhibita est codicum lectioni ex vulgari interpolatione natae, qua librarii in errorem inducti scriptura continua . . . *sed* pro . . . *s et* hic illic reponebant, velut Tac. ann. 6, 2 in Med. *alio sed honoribus* pro *alios et honoribus,* Cic. fam. 6, 14, 2 in Med. *cum fratre sed propinqui* pro *cum fratres et propinqui,* Liv. 21, 47, 5 in Put. *utres sed multorum* pro *utres et multorum,* Tac. ann. 2, 56 in Med. *ingeniis sed situ* pro *ingeniis et situ.*[2]) Sed dissident interpretes in relativa sententia expedienda, ambigentes maxime de voce *fama,* quo casu intellegenda sit. Nec defuit qui mutandam orationem censeret. Qui ablativum esse statuunt, enarrantes *fama traditum est* (Liv. 5, 33, 2 *fama traditur,* 27, 27, 13) necesse habent pronomen relativum in altera parte sententiae quarto, in altera primo casu accipere. Quod notum dicendi genus non abhorret a Livio, v. 40, 14, 8 *illud quod fatetur et palam est*[3]); nam Fabri aliena congessit. Tamen alteram rationem,

---

Nec aliter poetae, velut Horatius carm. 2, 7, 11 *cum fracta virtus et minaces turpe solum tetigere mento* vel Vergilius Aen. 3, 53 *ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit.*

[1]) Cf. etiam versus, quos Vergilius composuit Aen. 1, 516 sq.

nube cava speculantur amicti,
quae fortuna viris (sit), *classem quo litore linquant,*

Iuvenalis 3, 57 sq.

quae nunc divitibus gens acceptissima nostris (sit),
et quos praecipue fugiam, properabo fateri.

[2]) Conferas etiam, quae diximus in dissertatione, quae inscribitur: Quaestiones criticae et palaeographicae de vetustissimis codicibus Livianis (Berolini 1885) p. 59 n. 1.

[3]) Quod exemplum addendum est eis, quae Madvig opp. acad. II, 177 et comment. ad Cic. de fin. 5, 9, 26 p. 650[3] et Draeger synt. hist. lat. II[2] § 481, 1 p. 509 contulerunt et possunt aliis augeri, velut Tac. dial. 8 *quod non a principe acceperunt nec accipi possit,* Germ. 18 *quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur,* Sen. tranqu. an. 8, 9

quam plerique amplexi sunt, magis suadet observatio elocutionis Livianae, qua scribit velut 1, 4, 6 *tenet fama lupam sitientem ex montibus ad vagitum cursum flexisse*, 23, 11, 2 *fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio*, 38, 13, 6 *fama ita tenet Celaenis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse:* ubi quod simplex verbum positum est, variat, ut Graece Plutarchus vita Demosth. c. 28 loquitur λόγος ἔχει, Thucydides 1, 10, 1 ὁ λόγος κατέχει, vel Livius 23, 44, 6 *imber continuus per noctem totam tenuit*, contra 29, 27, 7 *noctem insequentem eadem caligo obtinuit* (de quo loco v. etiam infra p. 10) aut 39, 3, 2 *tenuerunt causam* — 8, 21, 10 *causam obtinuere*, 2, 42, 2 *tenuere tamen patres, ut cum L. Aemilio Caeso Fabius consul crearetur* — ib. c. 43, 11 *obtinuere tamen patres, ut in Fabia gente consulatus maneret*, 9, 12, 5 *timor utrosque usque ad lucem quietos tenuit* — 8, 13, 13 *reliqua consultatio est, quonam modo perpetua pace quiet s obtineamus*, aliaque. Sed haerent in obiecto *quod* ad *famă obtinuit* posito, cum Livius alibi accusativum cum infinitivo subiecerit, statuuntque infinitivum ex contextu orationis supplendum esse, velut *factum esse*. Frustra, opinor. Agnoscenda potius est vulgata species accusativorum pronominalium generis neutri, qui verba accusativos proprie non recipientia sequantur ad rem universe significandam. Itaque non aliter dicitur *quod famă obtinuit* ac *quod quidam auctores sunt* Liv. 23, 16, 15 et 30, 26, 7 (cf. 38, 50, 5 *ut Valerius Antias auctor est*, 21, 38, 4 *ita quidam auctores sunt*, ubi potuerunt *quod* et *id* poni) aut quod propius accedit Quint. inst. or. 1, 7, 30 *ego nisi quod consuetudo obtinuerit sic scribendum quidque iudico*, quomodo sonat collatum cum eis quae ib. 2, 1, 1 leguntur *tenuit consuetudo, ut praeceptoribus eloquentiae discipuli serius quam ratio postulat traderentur.*[1]) Ellipsis in talibus prorsus fingitur. Itaque verba *quod et plures tradidere auctores et famă obtinuit* offensionem habere nullam iudicamus nec ob id esse cur *quod* particula causalis ex H. J. Muelleri sententia (Zeitschr. f. Gymn. XXXVI, Jahresber. p. 280) intellegatur. Quamquam hoc per se sane licet nec utrum praestet facile ad diiudicandum est, nisi quem forte movebunt Thucydidis, scriptoris a Livio frequenti imitatione expressi, verba quae leguntur 1, 10, 1 οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις σημείῳ χρώμενος ἀπιστοίη τοσοῦτον γενέσθαι, ὅσον οἵ τε ποιηταὶ εἰρήκασι καὶ ὁ λόγος κατέχει. Nullo vero pacto concedere possumus mutatione egere verba Liviana, qualem instituit

---

quae (corpora) *superfunduntur et undique magnitudo sua vulneribus obicit.* Monuit Madvig hoc structurae genus minus accuratum proprie ibi locum habere, ubi casuum formae non discrepent, scilicet in neutro genere pronominis relativi, in quo etiam Graecis scriptoribus placuit (v. Classen ad Thuc. 4, 17, 1) nec non nostris (v. *Andresen* ‚Sprachgebrauch und Sprachrichtigkeit im Deutschen' p. 125[2]). Sed in aliis quoque pronominibus idem sibi permisisse Latinos observare licet, velut in demonstrativo loquitur Livius 41, 16, 2 *id cum ad senatum relatum esset senatusque ad pontificum collegium reiecisset*, Nepos Dionis vita 4, 2 *id cum factum multi indignarentur magnaeque esset invidiae tyranno*, Tacitus hist. 4, 53 *id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse credebatur*, in interrogativo Livius 40, 46, 1 *quid omnes aut offendat aut certe mutatum velint*, in pronomine *quidam* Tacitus ann. 2, 83 *quaedam statim omissa sunt aut vetustas obliteravit.* Atque in substantivo quoque generis neutri idem ausus est Thucydides 6, 71, 2 καὶ χρήματα δὲ ἅμα αὐτόθεν τε ξυλλέξωνται καὶ παρ' Ἀθηναίων ἔλθῃ, Livius autem vel adiuncto substantivo feminino 29, 35, 8 *tormenta machinasque et advexerat secum et ex Sicilia missa cum commeatu erant*, non item 39, 40, 9 *simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas*, accusativo in posteriore membro per pronomen demonstrativum significato etsi congruentibus casuum formis substantivi.

[1]) Notatu dignum est etiam quod Sallustius Iug. 17, 7 scribit his verbis: *ab ea fama quae plerosque obtinet* (‚beherrscht'), obiecto personali posito, quod Ursino adeo displicuit, ut *plerumque* legendum suspicaretur plausumque ferret Kritzii, Dietschio, ut tamquam glossemate natum *plerosque* delendum censeret. Nec tamen multo distant, quae Suetonius vita Aug. 6 scribit *tenet vicinitatem opinio, tamquam et natus ibi sit* et Livius 1, 28, 3 *ne vos falsa opinio teneat* similiaque.

O. Riemann scribendo *quod et plures tradidere auctores et [ea*[1]*] fama obtinuit,* recte inprobatam illam quidem a Muellero, sed a locutione iniuria in dubium vocatam. Nam quod ille vir doctus *quod* pro relativo pronomine accipit, potest constare cum bipertita oratione per *et . . . et* facta. Interdum enim in conexionibus copulativis initio sententiae ponitur nomen tantummodo priori membro aptum idque vel ubi suo quodque subiecto membra praedita sunt (ut levius sit quod habetur Liv. 33, 27, 10 *id aegre et in praesentia hi passi et in futurum etiam metum ceperunt*), quod genus orationem Livius formavit velut 33, 9, 10 *ad communem omnium trepidationem accessit, quod phalanx Macedonum gravis atque immobilis nec circumagere se poterat, nec hoc, qui a fronte paulo ante pedem referentes tunc ultro territis instabant, patiebantur,* Tacitus ann. 3, 54 *aut si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc ego et laudo et exonerari laborum meorum partem fateor* (ubi facile carebimus Doederlini coniectura *exonerare* proponentis), rursus Livius in ipso pronomine relativo, vel Muellero l. c. p. 299 ita iudicante et fortasse recte, 45, 20, 5 *cum primo in veste candida visi essent, quod et gratulantis decebat et, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum praebere speciem poterant* cet. Extremo hoc loco priores *quod* coniunctionem intellexerant, Harant quoque (emend. et adnot. p. 289), post prius *et* inserendum censens *id* vel *ea* (magis ex more Liviano esset *ita*, cf. 21, 40, 11 *ita forsitan decuit*, 35, 25, 11 *quod ita Quinctio placeret*, 28, 18, 5 *quia ita cordi erat regi*, 39, 41, 6 *quia ita aptius visum erat*, 36, 23, 7 *quod ita transfugae affirmabant;* Tac. ann. 13, 45 *quia sic decebat*). Sed nec adiecto opus esse astipulamur Muellero, si *quod* pro relativo accipitur, et fortasse non prorsus reicienda est altera eius vocis[2]) interpretatio, si quidem Livius non semel duriuscule subiecti s. obiecti significationem omisit, ut ex antecedentibus aut subsequentibus repetenda sit, velut 22, 32, 5 *scire sese populi Romani aerarium bello exhauriri et cum iuxta pro urbibus agrisque sociorum ac pro capite atque arce Italiae geratur* (sc. *bellum*), *aequum censuisse* cet. aut 9, 43, 13 *Hernicorum tribus populis quia maluerunt* (sc. *suarum legum restitutionem*) *quam civitatem, suae leges redditae.* Quamquam et illo loco Gronovius *id* (pro *et*) *cum . . . geratur*, et hoc Harant l. c. p. 63 *qui id* (pro *quia*) *maluerunt* temptavit, uterque demonstrativo pronomine illato, quod quotiens alibi Harant in orationem Livianam tamquam necessarium invexerit nec nobis persuaserit, nunc praetermittimus.

Obtinendi verbi infinitum usum (i. q. *durare, manere*) agnoscimus etiam Liv. 29, 27, 7 *noctem insequentem eadem caligo obtinuit:* nam Weissenborn et lexica Georgis Klotziique accusativum ibi a verbo pendere volunt. Sed primum accusativus temporalis Livio maxime familiaris est; cf. 24, 40, 10 *diem insequentem quievere*, 23, 18, 10 *partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit*, 26, 14, 5 *diei insequentis partem cum animam egissent*, 5, 4, 3 *partem anni agrum colere*, 22, 59, 4 *diei relicum ac noctem insequentem vallum sumus tutati*, 24, 17, 7 *diem noctemque*[3]) *nequiquam fatigatis*

---

[1]) Magis placeret *ita*, cf. Liv. 38, 13, 6 *fama ita tenuit.* Cf. etiam quod in simili sententia dixit Tacitus ann. 14, 2 *sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat.*

[2]) Pronomen utique intellegendum est Liv. 21, 61, 2 *classicos milites navalesque socios vagos palantisque per agros (quod ferme fit, ut secundae res neglegentiam creent) cum magna caede ad naves conpellit.* Sententia epexegetice adiuncta, in qua Tan. Faber *ut . . . creant,* Doering *ubi . . . creant* scribendum duxerunt, nullam vituperationem habet; cf. eandem orationis conformationem Caes. b. g. 6, 15, 1 *hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit (quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur.*

[3]) H. e. *per unum diem noctemque,* ut 26, 9, 6 et 35, 40, 8, *diem ac noctem* 22, 1, 20. 27, 4, 12. 14. Idem de ea re positum, quae nulla intermissione interdiu noctuque fiat, Madvig em. Liv. p. 487² n. a Livio abiudicavit,

equis hominibusque, alia. Deinde simplicis certe *tenendi* verbi absolutus usus apud Livium latissime patet, vide 23, 44, 6 *imber continuus per noctem totam tenuit*, 36, 43, 11 *aquilones per aliquot dies tenuerant*, 24, 47, 15 *incendium per duas noctes tenuit*, 2, 3, 5 *ea consultatio per aliquot dies tenuit*, quibus quattuor locis *per* praepositio meri ablativi vice fungitur; 25, 27, 6 *venti qui tum tenebant*, 3, 47, 6 *silentium aliquamdiu tenuit*, 40, 8, 20 *diu maestum silentium tenuit*, 25, 15, 16 *seditio inde paulisper tenuit*, 39, 4, 10 *ubi usque ad noctem diu anceps proelium tenuit*, 25, 39, 10 *diuque tenuisset* sc. *proelium*, 7, 39, 11 *cum eadem deliberatio teneret*, 3, 19, 2 *hae tenuere contentiones usque ad comitia*. Unde etiam 33, 22, 10 *hae altercationes biduum tenuerunt* intellego *per biduum tenuerunt*; minus confidenter iudico de 36, 19, 5 *aliquantum temporis et direptio castrorum obtinuit* (sic solus cod. Moguntinus, rell. *tenuit*), quod potest dictum esse, quomodo locali sensu *templa deum aliquantum tenebant loci* 37, 32, 2, quocum confer absolutum usum 32, 5, 12 *qua abscisae rupes erant, statio paucorum armatorum tenebat* et 28, 1, 8 *laevâ Celtiberos, novum exercitum, supra novem milia hominum, dextrâ Punica tenere castra.*

IV. Notabilis coniectura est, qua olim venerandae memoriae grammaticus Zenodotus Iliadis libri decimi versum 98

μήτοι μὲν καμάτῳ ἀδηκότες[1]) *ἠδὲ καὶ ὕπνῳ*
κοιμήσωνται,

---

maxime quod contra rationem esset. atque inde *diem ac noctem* quater (27. 45, 11. 33. 17. 10. 36. 25, 4. 42, 54. 3. hoc uno loco asyndetos *diem noctem* ut loco Ciceronis infra citando) meliorum codicum fide traditum ablativis ex parte a recentioribus libris exhibitis mutavit persuasitque H. J. Muellero (Zeitschr. f. Gymn. W. XXXVII. Jahresber. p. 332). Et eo sane sensu ablativi singularis numeri leguntur 24, 20, 13 et c. 37. 3 *die ac nocte*, hic ex certa Hertzii coniectura, longe plurimis locis accusativi pluralis *dies noctesque* 24, 38, 2. 25, 26 9. 34, 3. 27. 16. 10. 29, 17, 16. 36, 23, 5. 33, 3. 37, 10, 2. 38, 7, 6. 16, 6. 41, 10. 40, 12, 4. 44, 18, 1. *dies ac noctes* semel 40, 5, 9. Quominus autem Madvigio assentiamur, prohibent nos quidem praeter duo ab ipso ad eandem normam correctos locos Ciceronis leg. agr. 2, 26, 68 *qui paulo ante diem noctemque tribunicium nomen horrebant* et de div. 2, 27, 59 *quasi vero quicquam intersit, mures diem noctem aliquid rodentes scuta an cribra corroserint* cum aliorum scriptorum loci velut Caesaris b. g. 7, 77, 11 *cuius rei timore exterriti diem noctemque in opere versantur* (ubi violenter *dies noctesque*, incommode *die nocteque* mutaretur), Senecae apocol. c. 7 *tu scis, quantum illic miseriarum tulerim, cum causidicos audirem diem et noctem*, Taciti ann. 4, 74 *ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur*, tum quod eodem modo loquuntur Graeci, ut Xenophon Anab. 7, 6, 9 *ἔνθα δὴ ἡμεῖς μὲν τὸν δεινὸν χειμῶνα στρατευόμενοι καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν οὐδὲν πεπαύμεθα* i. e. noctu diuque, ut cum Sallustio loquamur (genetivus est 2, 6, 7 *φιλοκίνδυνός τε ἦν καὶ ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἄγων ἐπὶ τοὺς πολεμίους*), idem 6, 1, 14 *οἱ Ἕλληνες ἀναβάντες ἔπλεον ἡμέραν καὶ νύκτα πνεύματι καλῷ ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντες τὴν Παφλαγονίαν* i. e. unum diem noctemque. Et in talibus ut codicum auctoritatem tenuem esse concedimus, ita ne rationi quidem nimium tribuimus, quae totiens in omni sermone inani quodam analogiae studio deseritur ac detorquetur, ut suspicari possis hic aliquid momenti habuisse similitudinem locutionis *die ac nocte*, quae et *interdiu noctuque* (v. supra) valet et *per unum diem noctemque* (Liv. 4, 22, 5. 26, 27, 4. 35, 34, 9, etiam *intra unum diem noctemque* 25, 39, 11 et Cic. n. d. 2, 9, 24). Denique ne illud quidem praetermittendum in hac re videtur, quod posteriore aetate ablativi et accusativi temporalis fines omnino confusi inveniuntur, cuius rei vestigia multa extant in Suetonii Caesarum vitis, velut Tib. 9 *comatam Galliam anno fere rexit*, Cal. 59 *vixit annis viginti novem* (sic frequentissime tituli), Oct. 36 *secundum consulatum paucissimis horis gessit.*

[1]) *Ἀδηκότες* ab *ἄδην*, accusativo adverbiali substantivi **ἄδη*, ductum plane respondere mihi videtur latino *fatigati*, si id recte indicatur cohaerere cum *fatim* = *ad fatim, ad satiem*; cf. Gloss. Labb. *fatim: ἀφθόνως* et Serv. ad Verg. Aen. 1,121.

donavit et in sua diorthosi sic scripsit:

μήτοι μὲν καμάτῳ ἀδηκότες ἤδεϊ ὕπνῳ
κοιμήσωνται

immemor eorum quae in Odysseae sexti libri versu 1 sq. leguntur

ὣς ὁ μὲν ἔνθα καθεῦδε πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος,

ubi non tam facile emendatio ei successisset. Cuius rei testis extat schol. Venet. *A* his verbis: *ἡ διπλῆ ὅτι Ζηνόδοτος μὴ νοήσας τὸ σημαινόμενον γράφει ἀδηκότες ἤδεϊ ὕπνῳ κοιμήσωνται, ἔτι δὲ καὶ νῦν λέγομεν ὕπνου μεστὸν οὐ τὸν ἐξυπνωκότα ἀλλὰ τὸν πολὺ τὸ ὑπνωτικὸν ἐν αὐτῷ ἔχοντα.* Hic observare licet in grammatica quoque arte sicut in aliis serie rerum omnia repeti: nam id ipsum quod olim rudibus artis initiis Zenodotum, nuper viros doctos male habuit loco Liviano, qui est 27, 47, 9, traxitque ad magna molienda transponendo simul et inserendo atque eiciendo. Ibi enim postquam Hasdrubalem certamen declinantem noctu castra reliquisse ducesque itineris clam se subduxisse narratum est, codices utriusque familiae nihil admodum variantes ita pergentem Livium faciunt: *desertum ab ducibus agmen primo per agros palatur fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim atque infrequentia relinquunt signa*, Alanus em. Liv. I, 44 . . . . *per agros palatur aliquot* [*horas*], *fessique* (*ac*) *vigiliis somno sternunt corpora passim*, Wesenberg *tidskrift for Philologi* IX, 280 . . . *per agros palatur fessique aliquot* [*itinere*] *ac vigiliis sternunt somno corpora passim.* Hanc vero coniecturam novissimi editores Luchs, Friedersdorff, Maur. Mueller[1]) ita amplexi sunt, ut in textu exprimere non dubitarent, improbarunt H. J. Mueller et Madvig (ed. II praef. VIII). Non difficile est ad suspicandum in emendando haud leviter movisse ea, quae in proximo superiore capite leguntur § 7 *dum fessum via ac vigiliis reficeret militem*, in proxime subsequenti § 16 *nam ex pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi stratique somno passim per agros. et qui aderant, itinere ac vigiliis fessi vix arma umeris gestabant.* Sed nemo serio contendet inde sequi Livium illo quoque loco *viam* sive *iter* cum *vigiliis* composuisse ac non *somnum* h. e. somnolentiam[2]) inde ortam (ut Il. l. c. Schol. Vict. et Lips. *ἀγρυπνίαν* interpretantur). Hoc autem fieri potuisse probant vel Homerica illa aliaque ab interpretibus ascripta, ut Horatii carm. 3, 4, 11 *me ludo fatigatumque somno fronde nova puerum palumbes texere*, Tibulli 1, 3, 87 *puella paulatim somno fessa remittat opus.* Quibus addo duo locos Lucii Septimii ephem. b. Troi. 6, 9 *indicat Neop'olemum in spelunca fatigatum navigio somnoque iacere* et 5, 12 *fessis deinde multo vino atque somno*[3]) *barbaris . . . silentio ad civitatem navigant.* Quo magis miror fuisse qui loco Liviano, cum *somno fessi* probum iudicarent, tamen coniecturis indulgerent, velut Novák scribendo *fessique aliquot somno*

---

[1]) Idem antea in nuntiis Gotting. a. 1880 p. 1464 in *somno* gerundium aliquod delitescere suspicatus erat (quem ad modum dixit Livius 1, 54, 7 *interrogando expectandoque fessus*, alibi *milites stando fessi*).

[2]) Cf. Iuv. 6, 424 *convivae miseri interea somnoque fameque urguentur.*

[3]) Cui non ex omni parte similia sunt quae habentur Liv. 29, 34, 11 *vino et somno gravis arma capere cogendo*, 25, 24, 6 *gravatis omnibus vino somnoque*, 4, 37, 2 *festo die gravis somno epulisque incolas veteres novi coloni nocturna caede adorti*, Ov. met. 3, 608 *ille mero somnoque gravis titubare videtur vixque sequi*, Verg. Aen. 2, 265 *invadunt urbem somno vinoque sepultam*, Liv. 41, 3, 10 *vino somnoque mersos iacere* (eos), Front. strat. 2, 9, 7 *resolutis suis in nimiam securitatem somnoque et mero pressis*, Verg. Aen. 6, 520 *tunc me confectum curis* (*choreis* Ribbeck ex Schraderi coni.) *somnoque gravatum infelix habuit thalamus pressitque iacentem dulcis et alta quies*, Ov. met. 6, 658 *somnoque gravatum adgreditur ferro*, Tac. ann. 4, 22 *turbata mente respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset* (scilicet lunaticum se fingit praecipitatae coniugis reus).

ab vigiliis st. c., quod quo distet a *fessi somno ac vigiliis*, aegre perspicias (cf. etiam 5, 48, 6 *exercitus stationibus vigiliis fessus*), Fr. Leo m. Rh. 35, 242 *fessi . . . somno ac via illis sternunt corp.*, ubi quod *illis* significare vult *in illis agris*, sermoni prorsus repugnat, Zingerle *Sitzungsber. der Wiener Akademie phil.-hist. Classe* 101 (a. 1882) p. 561 transponendo *fessi vigiliis ac somno*, ut res consequens posteriorem locum obtineret, cf. tamen illud ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος et Liv. 26. 44, 9 *in vulnera ac tela* (*ferrum* 28, 22, 14) *ruunt*.

Lucius Septimius, quem modo advocavimus, memoriam revocat loci Liviani non minus praeclara quam leni Madvigii emendatione in integrum restituti, quam, cum nuper dubitatio orta sit, fortasse Septimii quibusdam verbis stabilire contingit. Scilicet libri 26, 36, 11 post M. Laevini consulis orationem de pecunia in classem parandam conferenda cum haec in codicibus legerentur: *senatu inde misso pro se quisque aurum et argentum et aes in publicum conferunt. tanto certamine iniecto, ut prima ut inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, ut nec triumviri accipiundo nec scribae referundo sufficerent*, Madvig em. Liv. p. 385[2] reiecta vulgata lectione aeque sensu destituta (*ut prima ut inter primos n. s.*) una littera duplicata scribendum censuit ‚*ut prima aut inter primos nomina sua*' cet. Quam scripturam in verborum ordinem receperunt Weissenborn (1871), Herm. Joh. et Maur. Muelleri, Zingerle, Luchs, etiam Friedersdorff. Hic tamen in appendice critica editionis libri 26 p. 114 scrupulum movit, tamquam parum perspicuo discrimine distent *prima nomina* et *inter primos nomina*: proprie enim nonnisi unum nomen *primum* esse posse, secundum et tertium iam *inter primos* esse, ita ut certamen in eo versetur, *ut suum quisque nomen primum vellet esse in tabulis*, vel, si de pluribus agatur, *ut inter primos sua nomina vellent*. Itaque suspicionem iacit duas lectiones iunctas haberi *ut prima* et *ut inter primos* earumque posteriorem veram esse, olim corrigendi causa supra versum scriptam. At nobis nimium in grammaticam orationis formam videtur vir doctus inquirere. Nam *prima aut inter primos nomina*, quod nondum adnotatum video, ad eum fere modum scriptum est, quo Septimius eph. b. Troi. 2, 3 loquitur de Achille et Aiace *ita omni modo primi aut inter primos bellantes praeclaram iam tum virtutis suae famam apud hostes atque inter suos effecere* (quod ne ipsum quidem, cum de duobus certe agatur, Friedersdorffi rationibus convenit) imitatus[1]) Sallustii de Iugurtha verba c. 6, 1 *leonem atque alias feras primus aut in primis ferire*. Quare nollem quidquam detractum. Iam vero apparet non recte Friedersdorffium negare certari tantum potuisse *ut suum quisque nomen primum vellet in tabulis esse*, immo potuit, *ut suum quisque nomen primum aut* (cum id uni tantum contingere posset. saltem) *inter prima* sive mavis *ut se quisque primum aut inter primos vellet in tabulis esse*. Et hoc aut illo modo accuratius sane verba efferebantur simulque altera Madvigianae scripturae difficultas tollebatur, quae Luterbachero visa est in variata per *prima* et *inter primos nomina* oratione. Sed quod is nov. ann. phil. CXXXI p. 614 ideo mavult *ut primi aut inter primos nomina sua*

---

[1]) Fragmentum Sallustii hist. IV, 66 Kr. (65 D.) ab Arusiano G. L. K. VI p. 487, 19 servatum *infrequentem stationem nostram incuriosamque tam ab armis*, qui contulerit cum verbis Septimii 2, 42 *Grai infrequentes tum incuriosique ab armis*, apud Sallustium ex superiorum criticorum sententia *tum* pro *tam*, non *iam*, quod Keilio l. c. rectius videtur, reponet; cf. etiam fr. III, 72 Kr. (inc. 25 D.) *invasere patentis tum et pacis modo effusas urbes*; ceterum *incuriosus ab armis* vix recte Dietsch interpretatur *incuriosus modo positis armis*, potius nove dictum videtur pro *securus ab armis*. Etiam sat ampla fragmenta Sallustii historiarum ex codice Aurelianensi palimpsesto proxime ab Edmundo Haulero protracta Septimium imitatorem illustrant; cf. Sall. hist. II rell. col. X, 9. 10 in Iordani ed. III (p. 131) *inter quae trepida* = Sept. 2, 43 et 3, 6 *inter quae tam trepida*.

vellent in tabulis publicis esse, in ea oratione, si recte sentimus, verba *nomina sua* locum non habent: potius quod H. J. Muellero illud reicienti placuit (Zeitschr. f. G.-W. 1887 Jahresber. p. 20) *prima aut inter prima.* violenta sane mutatione scribendum erit, si neutiquam illa variatio ferri potest, quam Madvig l. c. eo excusavit, quod Livius, ne ambigue *inter prima nomina sua* concurrerent,[1]) vitavisset. Equidem neutram offensionem nec Friedersdorffii nec Luterbacheri satis iustam causam esse puto, cur a verbis, sicut a Madvigio leni medela constituta sunt, discedatur, quae quicumque non ad vivum, ut aiunt, resecant, facile laturos esse nobis persuasum est.

V. Sollemnis est in obtestando et utrique sermoni familiaris ea structura, qua pronomen inter praepositionem eiusque casum interponitur hoc modo *parce precor, per te furtivi foedera lecti, per Venerem quaeso compositumque caput* (Tib.) vel *Ἀγαμέμνονος παῖ, πρός σε τῶνδε γονάτων, οἴκτειρον ἡμᾶς* (Eurip.), quod loquendi genus praeter ceteros largis exemplis illustrarunt Drakenborch ad Sil. It. 1, 658 et 5, 82, Muetzell ad Curt. 4, 14 (55), 24 p. 345, Valckenaer ad Eur. Phoen. 1659. Eiusmodi orationis formam librariis interpolandi ansam facile dare potuisse negari nequit idque factum esse multis scriptorum latinorum locis plerique critici et olim crediderunt et hodie pro certo habent. Velut in verbis, quae in Locrensium de iniuriis praesidii Romani conquestione Liv. 29, 18, 9 Spirensis codicis familia plene[2]) sic scripta habet *quibus* (legatis tribunisque sacrilegis), *per vos fidemque vestram, patres conscripti, priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia neque in Africa quicquam rei gesseritis.* Ubi quod — mirum sane — aliquis per se ipsum rogatur Gronovius non ferendum ratus *per vos fidem vestram* edidit, ut *vos* non insueto more a rogandi verbo

---

[1]) Quamquam alibi non ita curiosus talium reperitur; cf. 23, 4, 3 *secundum eam* (sc. partem) *litem iudices dare* 1, 34, 8 *ei carpento* (abl.) *sedenti*, 23, 26, 11 *nec Numida Hispano eques par fuit nec iaculator caetrato velocitate pari* (dat.), *robore animi viriumque aliquanto praestanti* (dat.). Quo nomine frustra impugnat Harant l. c. p. 298 vulgatam lectionem 45, 32, 5 *alii praedivites, alii, quos fortuna non aequarent, his* (dat.) *sumptibus* (abl.) *pares*, ubi levidensis error codicis *aequaret* olim a Grynaeo correctus est. ‚Non credo, inquit, Livium huiusmodi fraudes lectori suo parasse. Cui enim legenti *his sumptibus* statim in mentem veniat, *his* dativo casu positum esse, *sumptibus* ablativo? scio equidem eandem offensionem occurrere apud Sallustium (Cat. 20, 10 *illis annis*); sed perspicuitatem magis curat Livius, et aliud monstrat codex'. Itaque distinguendo codicis memoriam adiuvat sic: *alii praedivites, alii, quos fortuna non aequaret iis, sumptibus pares* Bona res est sane distinctio. Sed quaerere lubet, dempta ea paulisper ex more veterum, qui celerius Harantii scripturam legentes expedituri sint. Nonne manet offensio? Et alia incommoda habet illius lectio, ab concinnitate, quod et tertia praeter necessitatem persona inducitur fortunae et dativus *iis* iterum audiendus est, a grammatica, quod *aequarent* pravum tempus habet, a locutione, si quidem nusquam alibi *aequandi* verbum Livius ita posuit. Contra vulgata quanto aequabilioribus membris decurrit belle variata aequandi notione, quam, si dormitantium commodo consulendum erat, sane versa vice instituere Livius poterat hoc modo *quibus fortuna pares non essent, hos sumptibus aequantes, fortuna* pro re familiari ex more posita, *aequandi* autem verbo ut 31, 35, 2 *ut numero quoque eques pedesque hostem aequarit*, ib. c. 36, 6. 37, 10. 25, 34, 14. 1, 53, 1. 33, 44, 8. 35, 26, 3. Fraudes autem, si quae sunt, ex Livii libris supra ascripsimus. Itaque malim virgulae (*aequarêt*) adiectionem quam illud infelix patrimonium, quod ne ipsum quidem sine ulla mutatione (*iis* pro *his*) procedit. Contra recte l. c. p. 264 idem vir doctus 43, 19, 5 Vindobonensis scripturam *quam spe celeriorem deditionem erectus* praepositione *ad* initio inserta tenet reiecta vulgata *qua spe celeriore deditione erectus*, ubi ablativorum concursum ambiguum duriorem esse sentimus quam 37, 45, 6 *placatiore eo et sua et regis spe invento* aut 35, 44, 2 *tanto minoribus spe atque opinione omnium copiis.* Harantii scriptura, quam vellem H. J. Mueller recepisset. exemplum gemellum habet 24, 37, 1 *ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum civitatium animi*, similia ipse auctor dedit.

[2]) Nam quod in Puteaneo legitur *priusquam eo gesseritis* mediis omissis, id oculo inter scribendum a *priusquam* ad *quicquam* aberrante ortum esse facile intellegitur nec quisquam illam pleniorem scripturam interpolationi deberi hodie credet.

aliquo omisso penderet, persuasitque Madvigio, Luchsio, Zingerleo, Maur. Muellero, alii defendunt, ut Weissenborn adn. ad h. l. et Harant l. c p. 145. Blanditur specie Gronoviana scriptura, sed tamen ambiguum nobis est, quam recte mutaverit. Quamquam exempla, quae librorum memoriae patroni afferunt, timeo ne adversarios non multum moveant, si quidem ita comparata sunt, ut eandem dubitationem et correctionem facile recipiant nec omnia eandem rationem habeant. Sunt autem haec fere: Liv. 40, 9, 7 *per te patriumque nomen, ita me audias precor, tamquam si voce et comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interfuisses*, Curt. 9, 2 (10), 28 *per vos gloriamque vestram, qua humanum vestigium exceditis, perque et mea in vos et in me vestra merita, quibus invicem contendimus, oro quaesoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem . . . . deseratis*, Sall. fr. hist. 2, 50, 13 Kr. (2, 41, 13 D.) *per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa et consulite reipublicae*, ib. Iug. 14, 25 *per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani, subvenite mihi misero*, cui simile addi potest Cic. p. Planc. § 103 *nolite, iudices, per vos, per fortunas, per liberos vestros, inimicis meis . . . dare laetitiam.* In his certatim correxerunt Gronovius eumque secutus Madvig *per te patrium nomen*, Acidalius *per vos gloriam vestram*, Kortte *per vos, Quirites, gloriam maiorum* et *per vos liberos*, Garatoni probantibus Wundero et Orellio *per vos fortunas*, tollentes *que*, *et*, alterum *per* tamquam a librariis structuram sententiae non intellegentibus invecta. Sed nec ex aequo omnia ea dicuntur, sicut tradita sunt. Nam velut *per vos vestramque fidem*, *per vos gloriamque vestram* possunt videri composita esse, ut in unum coeant eo dicendi more, quem Vahlen ind. lect. Berol. 1885/86 p. 14 persecutus[1]) versum quendam ex Ennii Hectoris lytris a Nonio grammatico p. 427, 25 servatum (Enn. trag. 221 Vahl.)

per vos et vostrum imperium et fidem, Myrmidonum vigiles commiserescite

a coniectura L. Muelleri Ribbeckio (Trag. rel. 159)[2]) probata *per vos et vostrorum ducum imperium* vindicavit; et legitur in eadem Locrensium oratione infra § 19 *ad vos vestramque fidem supplices confugimus.* Sed de Ennio praevideo oblocuturos, qui verba ita expedienda malint *per vestrum et imperium et fidem vos* (rogo). *Myrmidonum vigiles, commiserescite*, quemadmodum etiam Vergilii versus, quibus Pallas Arcadas fugientes ad proelium resumendum accendit Aen. 10, 369 sqq.

---

[1]) Idem iure dubitat, num recte in versibus Euripidis Orest. 537

ὦ γέρον, ἐγώ τοι πρὸς σὲ δειμαίνω λέγειν,
ὅπου σὲ μέλλω σήν τε λυπήσειν φρένα

editores a codicibus discesserint scribendo cum Musgravio et Hermanno *ὅπου γε μέλλω σήν τι λυπήσειν φρένα.* Nescio an apte comparari potuerint ex latinis verba Sallustii Cat. 52, 8 *qui mihi atque animo meo nullius usquam delicti gratiam fecissem.* Quo pertinet etiam sollemnis mos in iurando, devovendo cet., quo velut componunt Cicero de domo 57, 145 *meque atque meum caput devovi*, Catullus carm. 66, 40 *adiuro teque tuumque caput*, Livius 30, 20, 7 *Hannibalem in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum esse*, 26, 48, 12 *obstringere periurio non se solum suumque caput, sed signa militaria et aquilas*, 3, 48, 5 *te tuumque caput sanguine hoc consecro.*

[2]) Quod praeterea Ribbeck tetrametros trochaicos effecit, alterius versus initium *obsecro mei* fuisse fingens, nec a sententia nec a locutione quidquam desideratur. Rectius alii continuos numeros pentametros agnoscunt, ut in eadem fabula

at ego, omnipotens, te exposco, ut hoc consilium Achivis auxili fuat

et in Cresphonte eiusdem poetae

o pietas, eam secum advocant: cunt ad fontem, nitidant corpora,

ubi idem versuum genus leni mutatione (*pietas* pro *pie*) simul cum sententia metro consulens nuper probavit Vahlen ind. lect. Berol. 1888/89 p. 18 sqq.

quo fugitis socii? per vos et fortia facta,
per ducis Euandri nomen devictaque bella
spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
fidite ne pedibus.

Wagner explicat: (oro) *vos et per fortia facta et per ducis Euandri nomen* ex usu Vergiliano ad buc. 4, 6 explanato, reliqui altum silentium tenent, nisi quod P. Hofman Peerlkamp verba ad vulgarem usum revocavit scribendo *per vos ego fortia facta.* Itaque de his parum confido. Sed mecum quaeso consideres alterum locum Vergilii Aen. 10, 597

per te, per qui te talem genuere parentes,
vir Troiane, sine hanc animam et miserere precantis

vel Apollonii Rhodii Argon. 3, 701

λίσσομ᾽ ὑπὲρ μακάρων σέο τ᾽ αὐτῆς ἠδὲ τοκήων,
μή σφε κακῇ ὑπὸ κηρὶ διαρραισθέντας ἰδέσθαι
ἀργαλέως.

Quorum locorum[1]) cum ea condicio sit, ut non sine magno molimine mutari queant, aptiores ad eximendam dubitationem nobis videntur esse. Et omnino in hoc toto loquendi genere, quo quis per se ipsum rogatur, cum per quicquid homini carum est rogari soleat, non inepte hominis amor sui invocatur, ut pronomen quod vocant personale praegnanti quadam vi pro vita alicuius accipi posse videatur; conferas sis Iliad. 22, 338

λίσσομ᾽ ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γούνων σῶν τε τοκήων,
μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν

h. e. obsecro per tuam vitam genuaque et parentes.[2]) Itaque per me licet mirentur tamquam elegantiorem istam rationem, qua praepositio a suo nomine disiungitur inserto pronomine, alteram rationem probam non esse nondum adducor.

Hanoviae a. MDCCCLXXXIX.

Guilelmus Heraeus.

---

[1]) Cf. etiam versus Ovidii am. 2, 16, 44
at mihi te comitem iuraras usque futuram
per me perque oculos, sidera nostra, tuos.
Iurarat scilicet puella ‚*per te oculosque meos*‘.

[2]) Comparare licet etiam Callimachi fr. 35b Schn. *σήν τε καρὴν ὤμοσα σόν τε βίον* cum interpretatione latina Catulli carm. 66, 40 *adiuro teque tuumque caput.*